



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris Theologi Architectura Christiana

Sandaeus, Maximilianus

Coloniæ Agrippinæ, 1653

3. Tertia Conuenientia inter Fidem & Fundamentum est, quod vtrumque sit primum ingenere causę materialis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

tur & propellitur homo ad reliquarum virtutum officia. Et quidem, ut nihil in naturalibus est volitum, nisi præcognitum, ita in supernaturalibus, nec speratur quicquam, nec amatur, nisi Fide prius creditum. Quocirca necesse est, aliquam Fidei functionem circa DEVM tempore, vel natura præcedere, ut aliarum virtutum officia ad vltimum finem disponant per meritum, id est, ut *Ædificium Spirituale* perficiant.

Vtitur ad idem probandum alio argumento S. Thomas, quo etiam confirmatur, Fidem esse Fundamentum respectu Caritatis, cui præsupponitur. Sic autem ratiocinatur. Fides prima est inter virtutes Theologicas: hæ autem sunt reliquis omnibus virtutibus priores. Itaque Fides absolutè est prior omnibus. Antecedens inde deducitur: quia cognitio vltimi finis, quæ pertinet ad Fidem, prior est actibus voluntatis, atque ideò Spei & Caritatis circa eundem vltimum finem. Quod autem virtutes Theologicae præcedant omnes alias, est satis euidens, quoniam occupantur circa vltimum finem, qui in agibilibus ceterorum omnium est principium.

ARTICULUS III.

TERTIA CONVENIENTIA

inter Fidem & Fundamentum est, quod vtrumque sit Primum, in genere causæ materialis.

EX eo, quod Fides sit *Prima Virtutum*, veluti Fundamentum domus, efficiunt Theologi, quod sit prima in genere materialis causæ. Et sanè Fides habet se, tanquam materia: quæ formarum est basis, quibus substernitur. Quare, ut se habet corpus respectu formæ ac
compo-

compositi, ita Fides caussaliter suam exercet, tum respectu aliarum virtutum sigillatim acceptarum, quibus substernitur, tum respectu totius Ædificij Spiritualis. Atque inde etiam accommodatè dicitur *ὑπόστασις*, Substantia, & substantia, nimirum, caussaliter, quæ æquè Fundamento ac materiæ conueniunt.

CVM igitur Fides inter virtutes sit omnium prima, non quia præstantissima, quod conuenit Caritati, sed quia fundamentum ac basis, vt materia inter causas, ac pes in corpore, carina in naui, optimum est consilium, ante omnia officia, quibus per diem vacandum; siue domi, siue foris; siue in curia siue in tribunali; siue in foro, siue in templo, siue in gymnasio, protestationem fidei emittere, & à vocolâ CREDO, cum suis appendicibus diem auspiciari. Nam Domus Sapientiæ, diligendo quidem perficitur, & sperando erigitur, sed credendo fundatur. Et, si in nobis ædificare volumus, tanquam Sapientes Architec̃ti, Ædificium Spirituale Virtutum, ponamus Fundamentum Fidei, firmum, stabile, inconcussum, immobile; Fidei Christianæ, orthodoxæ, Catholicæ, Fidei vniuersalis, Romanæ, Apostolicæ; Fidei Pontificiæ, Papisticæ, à quo nomine non abhorremus, cum sit Fidei saluificæ. Credamus firmiter, cōstanter, immobiliter omnia, quæ DEVS reuelauit, & nobis per Ecclesiam credenda proposuit, siue scripta illa sint, siue non sint. Sed imprimis credamus, quia DEVS est, & quia remunerator bonorum malorumque est, vbique bonus, vbique misericors, nec minus vbique iustus in seculorum secula.



R 4

ARTI-